dem à ſago ejus tantum amputat, ut reliquum ſit inutile. Id eis cum compluribus aliis barbaris commune eſt, quod contraria noſtris moribus ratione virorum &mulierum officia habent diſtributa. Galli quo magis ad Septentrionem & Oceanum vergunt, eo ſunt magis bellicoſi. Primam laudem Belgis tribuunt, diviſis in xv. gentes (xxxi. ego ex Cæſare numero.) Soliqueadeo Belgæ Germanorum, Cimbrorum ac Teutonum impreſſionem ſuſtinuerunt. Quanta hominum copia apud eos fuerit hinc colligi poteſt, quod olim ccc. millia hominum arma ferre valentium apud Belgas ſunt cenſa (hunc numerum auget quadraginta ſeptem millibus Cæſar in principio Belli Gallici lib. 2.) Sunt qui Gallos trifariam dividunt in Aquitanos, Belgas & Celtas. Belgæ Oceano propinqua tenentes, uſque ad oſtia Rheni, Diod. lib.5. Natio, ut plurimum ad Arctum ſita, regio frigida, ut quæ hiemis tempore pro aqua nivibus oppleta exſiſtat. Glacies quoque immenſa adeo regionem occupat, ut flumina congelata ſint pervia tranſeuntibus non ſolum paucis, ſed exercitibus quoque cum curribus atque impedimentis. Plutarchus in Cæſare: Poſtquam vero renunciatum eſt, Belgas Gallorum potentiſſimos, & qui tertiam totius Galliæ partem tenerent, contractis multis hominum armatorum millibus, bellum moliri, magna adverſus eos celeritate contendit, &c. Appianus de Gallicis. Cæſar Belgas adgreſſus, in fluvii cujuſdam tranſitu tam multos interficit, ut uſum pontis præberent congeſta cadavera. Ammianus lib.15. Horum (Gallorum) omnium apud veteres Belgæ dicebantur eſſe fortiſſimi, ea propter, quod ab humaniore cultu longe diſcreti, nec adventitiis effeminati delitiis, diu cum Transrhenanis certavere Germanis. Dion 55. Batavi equitandi arte pollent. Dion 39. Morini & Menapii habitant non in urbibus, ſed in tuguriis & in montibus denſiſſimis ſilvis obſitis (*Arduennæ nempe, quæ olim multo major.*) Florus lib.3. Sequens, longeque cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Plinius xxxv. cap.xx. In Belgica provincia candidum lapidem ſerra, qua lignum, faciliuſq; etiam ſecant, ad tegularũ & imbricũ vicem; vel, ſi libeat, ad quę vocant pavonacea tegendi genera, & hi quidem ſectiles ſunt. lib. xvi. cap. xxxvi. In Belgis calami comacontuſa & interjecta navium commiſſuris ferruminatur textus. lib.x.cap. xxii. A Morinis anſeres Romam uſque pedibus veniſſe ſcribit. l.12.c.1. Platanus jam ad Morinos uſque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. lib.xv.cap.xxv. In Belgica & Rheni ripis, Luſitanis Ceraſis principatus datur. lib.xv.cap.xiv. *ubi de genere vario malorum:* A conditione caſtrati ſeminis, quæ *Spadonia* appellant Belgæ. lib. xix. cap.5. Gelduba appellatur caſtellum Rheno impoſitum, ubi generoſitas ſiſeris præcipua. lib. xvii. cap.vi. Vbios gentium ſolos novimus, qui fertiliſſimum agrum colentes, quacunque terra infra tres pedes effoſſa & pedali craſſitudine injecta arenacea, lętificent. M. Varro Rei ruſticę l.1.c.9. In Gallia Tranſalpina intus ad Rhenum, aliquot regiones acceſſi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur, ubi agros ſtercorarent candida foſſitia creta. (*marga hæc apud Plinium*) Auſonius de Gelbi flumine, ſe in Moſellam exonerante:

Præcipiti torquens cerealia ſaxa rotatu,
Strideneſque trahens per lævia marmora ſerras.

Silius Italicus lib.10.

Vt canis occultos agitat cum Belgicus apros,
Erroreſque feræ ſollers per devia merſa
Nare legit.

Virgilius Georg.1.

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.

Lucanus lib.1.

Et docilis rector roſtrati Belga covini.

Martialis in Xeniis.

Cæretana mihi fiet, vel maſſa licebit
De Menapis, lauti de petaſone vorent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [9] - -
PUBLIC DOMAIN